

Češka, Josef

Iubilaerum commemoratio

Sborník prací Filozofické fakulty brněnské univerzity. N, Řada klasická.
1996, vol. 45, iss. N1, pp. [105]-109

ISBN 80-210-1546-2

ISSN 1211-6335

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/113934>

Access Date: 06. 12. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

IUBILAEORUM COMMEMORATIO

Bello gentium finito cum in Universitatem Masarykianam anno 1945 philologiae classicae ac historiae Graeco-Romanae studiosi venissemus, quattuor professores cognoscere potuimus: honoratissimum Franciscum Novotný, senem sexaginta iam et quattuor annorum, itemque quinquagenariorum triadem, scil. Ferdinandum Stiebitz et Gabrielem Hejzlar et Jaroslaum Ludvíkovský. Primi duo re vera anno ante iam decimum lustrum vitae suae compleverunt, **Stiebitz** Nonis Iuliis, **Hejzlar** Kalendis Septembribus, uterque anno 1894 natus. Quoniam a die, quo in Bohemia lucem aspexerant — ille Velvaris, hic in districtu Nachodensi —, **centum anni** paulo prius iam abierunt, grata memoria ipsos primo loco prosequi volumus.

Utrumque studiis in Universitate Carolina Pragensi finitis fors circuitu trans Slovaciā post aliquot tempus in Moraviā detulit, ut gymnasiis profiterentur Brunae, ubi deinde dignitatem docendi assecuti in Facultate philosophica alter historiam litterarum Graecarum et Latinarum, alter archaeologiam classicam tradebat. Postquam Hitleriana factione saeviente Germani Rei publicae Bohemoslavicae partem occidentalem occupaverant et Universitates Bohemicas omnes claudi iusserant, ambo pari ratione atque omnis populus Bohemicus per sexennium vitam inopem tolerabant in timore summo degentes, praecipue cum inter plurimos libertatis patriaeque amatores etiam sodalis coaequalisque eorum ac amicus Vladimír Groh, professor historiae antiquae, a nazistis crudelibus supplicio affectus esset capitali.

Arma tandem paci in Europa cesserunt statimque activitas Universitatum Bohemiarum ultra modum antea usitatum renovata est. Cuncti professores magnitudine negotii obruti spontanea alacritate inter se certabant. Non secus etiam professor Hejzlar se gerebat, qui de vita hominum antiquitatis Graeco-Romanae investiganda atque de artificiis antiquis eleganter, ut decet, perspiciendis observandisque bene meritus Institutum archaeologiae classicae Brunae condidit. Sed professorem Stiebitz, magistrum meum olim optimum, maxime semper admiror, qui Vladimiro Groh mortuo ad munera sua historiam quoque antiquam docendam suscepit intentione virium omnes superans, praesertim dum anno scholastico 1947/48 Facultati philosophicae Brunensi decanus praeerat.

Floruit enim Stiebitz omni genere doctrinarum eiusque perfectam in litteris Graecis ac Latinis aevi antiqui eruditionem vix quisquam nostrum umquam potuit aemulari. Libros ad discendum utiles enim scripsit insuperque permulta opera poetica lyricorum Graecorum ac Romanorum et Aeschyli, Sophoclis, Euripidis Aristophanisque necnon Plauti, Ovidii etc. in versus Bohemicos suaviter modulatos transtulit atque prosaica quoque scripta velut Demosthenis, Plutarchi, Herodoti, Thucydidis, Senecae, Apulei, Minucii Felicis, Taciti, Ammiani Marcellini aut tota aut ex parte saltem aliqua interpretatus est. Quaestionibus scientificae solvendis talibus delectabatur, quae in philologia neglectae manserant, si e.g. antiquitatis de hereditate opinionum fundamenta biologica pertractatus est aut de thematibus antiquis scriptores modernos inspirantibus disseruit aut locos e libris auctorum Graecorum ac Latinorum iocosos excerpsit libentissimeque explanavit. Qui opera eius praeter commentarios diurnos omnia cognoscere velit, conspectum eorum Studiis minoribus Facultatis philosophicae Universitatis Brunensis, E 14, p. 9–18, anno 1969 insertum inspicere potest.

Labor immodicus mortem Ferdinandi Stiebitz VI Id. Oct. a. 1961 inexorabiliter aggressam maturavit, decem annis et quinque mensibus ante, quam G. Hejzlar XVI Kal. Apr. a. 1972 de vita decessit. Sed etiam obitus ceterorum professorum nostrorum anno, qui plures antecessorum laudis ansas nobis dedit, dies speciatim memoria dignos praesignavit, nam F. Novotný XII Kal. Oct. a. 1964 mortuus tricennio intervallato et J. Ludvíkovský X Kal. Nov. a. 1984 defunctus decennio a vivis successoribus suis tunc separati sunt.

Ad haec igitur memoranda recordationes nostras anno 1994 dirigebamus, sed priusquam series classica in Studiis minoribus Facultatis philosophicae Universitatis Brunensis ab archaeologica seiungi potuerat, biennium effluxit novaeque viginti lustrorum sollemnia interea subierunt.

Pridie Nonas Iunias anno 1895 enim in Bohemiae regione meridiana prope oppidum Horažďovice Jaroslav **Ludvíkovský** natus est, qui magister doctissimus et uni cuique affabilis ab omnibus discipulis suis semper diligebatur. Propter humanitatem insitam necnon eruditionem ac doctrinam numquam ambitiose ostentatam ubique, quocumque venerat, permultos numerabat amicos, plurimos autem Praegae, Brunae, Bratislavae Pisceaeque. In hoc enim oppido, cui nomen Bohemicum Písek est, iuventutem degit, Praegae in Universitate Carolina studia sua complevit et in gymnasio profitens ad gradum universarii docentis pervenit, Bratislavae professor Universitatis Comenianae anno 1928 factus Facultati philosophicae anno scholastico 1937/38 decanus praefuit, sed tempore turbulento sequente Brunam anno 1939 migrare coactus est. Universitati Masarykianae Brunensi, quae postea sub suprematu factionis communisticae Purkyňiana appellabatur, fidem usque ad annum 1973 servavit iunioribusque collegis etiam emeritus benevolentissime consilio opitulabatur.

Vitam minus septem menses nonaginta annos longam inter necessitudinem amicitiae et investigationem philologicam diu viduus utiliter partiri scivit, ut ex utraque re doctrina ac ingenii formatio commodum caperent, et talia themata

litterate pertractavit, quae cultui civili augendo et rebus in patria olim gestis vere cognoscendis prodessent. Nam librum summis laudibus elatum de fabulis Graecis amatoris casuumque mirificorum ac periculorum plenis nondum tricenarius scripsit, Iosephi Dobrovský humanitatem classicam accuratissime indagavit multaque alia themata e litteris medii necnon recentioris aevi ad studendum sibi elegit. Pariter aequaliterque vero studiis classicis assidue incumberebat. Tullium Ciceronem adeo adamavit, ut orationibus necnon scriptis eius rhetoricis ac philosophicis ad usum scholarum edendis explanandisque operam dederit librosque De officiis e Latino in Bohemicum elegantissime converterit. Ceterum et alii philosophi antiqui gratiam apud eum sibi pepererunt, e Graecis Anaxagoras, Plato, Epictetus, Lucianus, praecipue autem Epicurus.

Tempore dehinc procedente ad studia mediaevalia magis magisque tendebat. Fontibus Magnae Moraviae historicis et quaestionibus comeniologicis aliisque studebat, attamen curas plurimas ad Bohemiae christianae origines perscrutandas contulit. Chronica domus Sarensis critice edidit, imprimis autem Vitam et passionem sancti Venceslai et sanctae Ludmilae aviae eius — quod opus hagiographicum auctoris, qui Christianus vocari voluit, saeculo X compositum esse certo sibi persuasum erat — et omni ex parte examinavit, ne analysi quidem clausularum rhythmicarum omissa, postremoque hanc, sicut vulgo dicitur, Legendam Christiani anno 1978 maxima cum cura Latine edidit, in linguam Bohemicam vertit commentariisque auxit. Hoc libro seriem longam operum suorum finivit, quorum conspectus quamvis incompletus (cf. *Studia minora etc.*, E 10, a.1965, p.9–20, et *Classica atque mediaevalia Jaroslao Ludvíkovský octogenario oblata*, Brunae a.1975, p. 13–15) studiorum varietatem ac scientiarum amplitudinem testificatur.

Quanto diutius viro undique singulari fortuna secunda superesse permisit, tanto brevius vitae spatium coaequali eius Vladimiro Groh sors iniqua terminavit. Qui in Moravico oppido Holešov VII Kal. Febr. anno 1895 natus post studia in gymnasio Brunae et in Universitate Carolina Praegae absoluta mox ad doctissimos historiae Graeco-Romanae investigatores se adiunxit et ab anno 1926, quo professor Universitatis Masarykianae factus erat, in Facultate eius philosophica docebat, anno scholastico 1936/37 quin etiam decanus.

Omnia problemata fundamentalia aevi antiqui perdocte callens libros et commentationes de historia veterum populorum Asiae et de historia Graeca necnon Romana scripsit, maxime autem ad primordia urbis Romae animum attentum tenuit et quomodo homines Romae ac in orbe Romano vixissent, dilucide explanavit (cf. *Mnema Vladimír Groh*, ubi anno 1964 opera viri laudati p. 253–259 bibliographicè dinumerantur).

Vladimír Groh non solum animum, sed etiam corpus exercebat et in societate gymnica, quae Sokol (Latine Falco) appellatur, muneribus amplioribus fungens cives ad patriam in periculo defendendam excitabat, salutem suam neglegens. Itaque cum Germani ad credendum se superhomines esse prompti imperiumque suum sceleste tunc proferentes multas regiones alienas, imprimis Slavicas, ali-

am post aliam vi militari occuparent ac praedarentur, praecursor meus in disciplinae campo, vivus mihi ignotus, in carcerem inclusus est, unde a carnificibus saevis extractus Brunae pridie Kal. Oct. anno 1941 viriliter mortem obiit.

Ter omnino annus 1995 ad memoriam vegetandam nos incitavit. Tunc enim mense Augusto quindecim lustra transierunt a die, quo Franciscus **Novotný** professor ordinarius Universitatis Masarykianae anno 1919 institutae nominatus erat, ut Brunae philologiam classicam efflorescendam procrearet. Hoc munus vir eruditissimus ac honoratus — anno 1929/30 decanus Facultatem philosophicam et ab autumno anni 1945 una cum rectore vicarius eius per quattuor semestria continua totam Universitatem administrans — excellenter confecit ipsiusque operibus grammaticis necnon lexicographicis omnes in scholis Bohemicis linguam Latinam docentes ac discentes adhuc prospere utuntur, nam ea, quae praecepta elementaria continent, manualibus academicis complevit, ubi variae sermonis Latini in temporum progressu formae lexicales ac syntacticae stilisticaeque exquisite pertractantur.

Sed iis emolumentis diuturni laboris sui maxime clarescunt, quae ab eo eurythmiam prosae Graecae ac Latinae subtiliter inquirente et Platonis doctrinam philosophiaeque disciplinam omni ex parte diligentissime intellegere studente collata sunt. De Platone, cuius scripta omnia in Bohemicum transtulerat, peritissime conditum opus monumentale exegit, sed se vivo tres tomos tantum typis impressos vidit.

Tomum enim quartum, in quo vigor sapientiae Platonicae perpetuus atque vis eius adhuc stimulatoria copiose extolluntur, temporibus asperis, dum potentiores politici nullam philosophiam nisi materialisticam utilem habebant, anno demum 1970 sic, ut vicennio ante Bohemice scriptus erat, imprimi licuit. Iterum postrema operis totius pars, priores amplitudine superans et ipsa per se quoque cognitione digna, in translatione Anglica, *The Posthumous Life of Plato* intitulata, Pragae anno 1977 emissa est.

Harum editionum, quas pietate erga magistrum olim suum philosophus Pragensis Ludovicus Svoboda curavit, neutram bibliographia in ephemeride *Listy filologické*, vol. LXVIII, p. 297–310 et in *Charisteriis* Francisko Novotný octogenario oblatis p. 267–269 annis 1941 et 1962 publicata in se complecti potuit. Sed ne commentationes quidem extrema aetate conceptas ibi invenies, nam F. Novotný, IV Kal. Sept. anno 1881 prope oppidum Orientobohemicum Chrudim natus, ad obitum suum supra memoratum post octo decennia impleta tres etiam annos vixit, neminem meritorum suorum de philologia classica Bohemica augenda incertum relinquens.

Scientiae enim aviditatem per ipsam auctoritatem suam alumnis academicis idem infigebat, e quibus nuperrime adhuc vivus (de tali sicut de ceteris vivis hoc loco scribere nolui, nunc autem maestus debeo) maxime Carolus **Janáček** in arte philologica eminuit, postremo grandaevus sane, sed corpore semper valens animoque vicens. Qui habilitationem ante semisaeculum anno 1945 Brunae adeptus Olomucii deinde et Pragae in Universitatibus Palackyana et Carolina

professor clarescuit ibique — Olomucii etiam ad spectabilitatem proventus — tribus decenniis summatim docebat. Statim post honestam missionem suam praelectiones exercere non destitit, attamen optimas condiciones domi sibi datas gnarus otio Brunae, ubi natus erat sedemque fixam habuit, agiliter utebatur, ut proposita studia pensaque laboris voluntarii diurna a nemine impeditus cottidie usque ad horam paene ultimam naviter continuaret.

Morte subita postridie Idus Februarias anno 1996 extinctus est — velut si ei Parcae eundem ac professori Ludvíkovský grandaevitatis terminum constituisent — septem mensibus ante, quam X Kal. Oct. nonagenarius fieri posset. Virtutes eius atque omnia, quae praeter alia multa ad linguas antiquas cognoscendas et ad editiones librorum Sexti Empirici necnon Diogenis Laertii perficiendas contulit, in necrologio sequente copiosius laudantur.

Josef Češka

